

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955. Luchier.

Nr. Bo. 2.

Dan. g, 2A.

auct. Degling

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
SOLEMNEM
GLORIOSISSIMAE
CHRISTI
RESVRRECTIONIS
MEMORIAM
PIE CELEBRANDAM
INVITAT.

as.

RECTOR
ACADEMIE LIPSIENSIS
AD
SOLLEMNIEN
Gloriosissimae
CHRISTI
RESURRECTIONIS
MEMORIAM
PER CELEBRANDAM
INITIA



Q. D. B. V.



O raculum diuinum de Messiae aduentu, subeundaque morte expiatoria, circa exilii Babylonici finem a primi ordinis genio, Danieli promulgatum, et capite IX. v. 24. et sequ. descriptum, nostra consideratione hoc in primis tempore dignum est, quia religionis Christianae veritatem, et diuinitatem, dilucide solideque confirmat.

Daniel, in prima Iudeorum deportatione, quae anno regis Ioiakimi quarto contigit, iuuens admodum, cum sociis, Babylonem, Imperii Chaldaici Metropolin, in exilium delatus, derepente in Monarchae Nebucadnezaris notitiam peruenit, a quo, ad eximias, et tantas quidem dignitates, euēctus est, quantae, antea, nunquam ylli Iudeo, patria extorri, obtigerunt. Ad huiusmodi honores consilio diuino et humano mature destinatus fuit. Erat ingenio praestans, forma decorus, diuinis Hebraeae gentis literis excultus, et illustri ac regia forte familia natus, et cum aliis adolescentibus מִן הַפְּרָתָה מִשְׁלָמָנִי interpretate R. SALOMONE ex lingua Persica, מִשְׁלָמָנִי ex principum et procerum, sive secundum IOSEPHVM, τῶν ἐργεστῶν ex nobilissimorum ordine electus, ac ita cum illis in omni Chaldaeorum sapientia institutis et excultus, ut flaret aliquando coram Rege, h. e. vt aulicis dignitatibus praefici,

IV

et, vti consiliorum magister, Regi adesse posset. Ita, euenturatum impletumque fuit, quod olim, diuino oraculo, Hiskiae Regi praedictum fuit, 2 Reg. XX, 19. *de filiis tuis sument, vt sint serui in palatio regis Babylonii.* Continentiam amauit Daniel, vir sanctus et religiosus, quoad vixit, et ab ineunte aetate libidines aulicas auersatus, abstinentiae et temperantiae in vietu omni atque cultu, continenter addictus fuit. Eam ob cauissam regii et opiparis dapibus relictis, quae idolis plerunque consecratae, aut ab animantibus, Iudeorum genti diuina lege interdictis, sumtae erant, tenui vietu contentus vixit, vt valetudini consuleret, et in precibus ad Deum fundendis, cui exercitio diligenter vacabat, eo alacrior, et ardenter esset. Boni ominis et amplitudinis gratia, nomine eius, more in oriente recepto, mutato. *Belsazar* nuncupatus, diuini Numinis destinatione, crebraque excitatione, ita profecit, vt omnium hominum sui seculi sapientissimus et pientissimus censeretur, Ezech. XIV. 14. et XXVIII. 3. quin et, totius mundi *Polyhistor*, ab HIERONYMO mereretur appellari. Ipse Seruator noster, Danielem, vt vatem diuinum laudat, eiusque librum, et vaticinia in eo contenta, velut partem Scripturae Canonicae commendat Matth. XXIV. 15. Quale elogium, PORPHYRII, VRIELIS ACOSTAE*) et SPINOZAE, quorum vterque ex Iudeis Athei facti, ANTONII COLLINI, aliorumque empaectarum petulantiam, prosternit.

Cum vir diuinus, aliquando, ob calamitates gentis suae, et exilio diuturnitatem, in summo moeroe esset, et oraculum Ierem. XXV. 12. et Cap. XXIX. 10. atque 2 Chron. XXXVI. 21. de exilio post completum LXX. annorum spatium proxime finiendo, et exilibus in patriam reducendis, paullo diligentius consideraret, ac depreciationes suas coram Iehoua funderet, Gabriel, coelestis genius, velut Dei legatus, deuolare iussus, repentina volatu ad Prophetam peruenit, tempore, quo oblatio vespertina alias offerri solebat, qui, laetissimo nuncio, dieiectum Danielis animum confirmaret, indicaretque,

*) De VRIELE ACOSTA legatur B. WOLFFII Biblioth. Hebr.
T. II. p. 167.

fusas abs se preces esse exauditas, et Iudeos, patria pulsos, non solum proxime reuersuros, sed Messiam, etiam tot vatum divinorum oraculis multoties promissum, et tot Patrum votis diu desideratum, et expetitum, certo tempore, a Deo definito, circa finem nimurum LXX. magnarum hebdomadum, revera, et certo appariturum, ac homines spirituali seruitute captos, perditosque, sanguinis sui profusione redenturum esse.

Quemadmodum illusfris huius vaticinii totum argumentum, ita in primis praefatio et exordium, paullo videtur obscurius. Oportet igitur *veev*, monente maximo nostro doctore. Dabimus operam, ut omnia dilucidemus. *) Septuaginta illarum hebdomadum quaelibet dicitur, שבע נס accurate determinata, super gentem Iudaicam, sub seruitute Babylonica huc dum gentem, et super urbem sanctam, hoc est, Hierosolymam, quae vrbs, a Chaldaeis diruta, eo adhuc tempore iacebat in ruinis. Vaticinationis ratio satis indicat, hic non שבע שבע מינימales dierum, vt Dan. X. 2. 3. sed annorum, intelligendas esse. quarum quaelibet septem continebat annos, e quibus summa exsurgit annorum CCCCXC. Hebdomades dierum hic intelligi non posse, vel inde dilucide appetat, quod tam exiguo XLIX. dierum interuallo, Hierosolyma, vrbs per ampla, funditus excisa, et penitus deuastata, cum per amplis moenibus et turribus, nec restaurari, nec intra viius anni et octodecim vulgarium hebdomadum spatium, quale, numerus LXX. conficeret, amplissimus huius oraculi euentus contingere, nec omnia, quae hic praedicuntur, fieri, et verba angeli exacte impleri potuissent. Valeat p. d. Huetius **) aliique, qui annos lunares hic commenti sunt. Nulla enim appetat ratio, cur coelestis genius eos adhibuerit? Annum, homines, populariter tantummodo, Solis, viius aftri reditu, metiuntur, cum sol permensus est suum orbem, et ad idem punctum, unde

A 3 pro-

*) Incredibilis hic est opinionum dissimilitudo. Quot ab angelo designantur hebdomades, tot facile numeraueris commentatorum via interpretamenta.

**) P. d. Huetius in *Demonstrat. Euang. Propof. IX. Cap. VIII. §. IX.*
p. 669.

VI

profectus erat, redit. Idem est annorum solarium in sacro codice vbique *) usus.

Nonnulli Iudeorum doctores insignem prodiderunt proteruitatem, et petulantiam, quando oraculi evidentiam de Messiae ēnūq̄ uel obscuratari, et Christianorum argumentum, quod Christus ante plurima secula iam aduenerit, pessumdati, et elusuri, confinxerunt, hic indicari annos Hebraeorum Iubilaeos, quorum quilibet XLIX, vulgares contineat annos, et quoruim omnium summa, numerum annorum M. M. M. CCCCXXX. conficiat. At vero desunt huius significationis et computationis exempla in usu communi. Quod Leuit. XXV. 8. de anno Hebraeorum Iobilaeo traditur, singularē quid est. Templum etiam posterius, in quo Messias comparere debuit Hagg. II. 10. et Malach III. 2. tam diu non stetit, sed a Tito Vesp. Romani exercitus duce, euersum, et in cineres redactum, dudum prorsus disparuit.

Daniel, *vir nuncupatus desideriorum*, Deo gratus et acceptus, atque in Dei laudem toto pectore incumbens, sua et vniuersae gentis delicta demissē confessus v. 16. deprecatus erat Deum, vt suam indignationem, a populo, sub iugo valde oneroſo adhuc gemente, auferret, efficieretque, vt post captiuorum reductionem in patriam, *vrbs sancta* in ruinis adhuc iacens, instauraretur, quo a reducib⁹ inhabitari posset. Angelus a Deo missus, vtrumque orationis momentum impletum iri, assuerat, et solatii cauilla addit, preces a Daniele ad Deum fusas, confessim, ac in ipso deprecationum initio, a Deo exauditas esse. Exules Iudeos, patria expulsos, proxime reuersuros, et restauratum iri *urbem sanctam*, h. e. Hierosolymam, quae more loquendi S. Scripturae perfamiliari, ita vocabatur a cultu diuino, qui, ante cladem a Chaldaeis illatam, ibi floruerat, et nunc, Templo instaurato, restituendus erat, vt Messias, suo tempore, quod hic definitur, appariturus, sua glorioſa praesentia, et doctrina, illud illustrare posset.

Maxi-
*) Apud Hebraeos, ABEN ESRA teste, *ad Caput XII. Exodi*, *וְהַשָּׁנָה*
הַשָּׁנָה וְהַשָּׁנָה בְּלִבְנֵי annus vere erat *soli solis*. Menses enim lunares, quibus vulgo Iudei vrebantur, propter intercalationem certorum dierum, constituebant annos solares,

Maximopere a scopo aberrant, qui decretoriam urbis Hierosolymae cladem, et gentis *πανολεθετου*, ac ultimum et ferale excidium, a Romanis aliquando inferendum, praedici hic putarunt ab angelo, Danielem lacrymantem consolaturo. Nunciabat quippe exauditionem precum fusarum, et ad moerorem eius minuendum, laeto et grato nuncio Prophetae animum permulcebat, et spem eius sustentabat. Virum valde perterritum ab omni timore deducelurus, simulque sociis captiuis omnem abstersurus aegritudinem, non poterat aliud, quam laetum quid adferre. Consolationis caput erat Messiae aduentus, in eo temporis intervallo certissime expectandus, omnem fletum gentis moerentis sedatus, ac funditus detractus gemituum et lamentationum caussas. Erectum iri in populo restituto, legatus diuinus significat, a Rege Messia, regnum, non quidem mundanum, sed spirituale et coeleste. Infinita mala ab eo ablatum, et innumera bona collatum iri.

Ad mala per Messiam auferenda, referuntur *עֲשָׂרָה* *prae-nariatio*, et *יְמִינָה* *iniquitas*. Vtrumque vocabulum non tantum notat quamuis animi labem, et prae facta ac vitia, cum fonte venenato *אַתָּה*, per quae homines incident in varii generis aerumnas et calamitates, ac in sempiternum etiam extitum; sed imprimis multiplicem gentis foedifragae *אַתָּה*, quando, facta a vero Deo defectione, gentium idola summa religione colebant. Insigniter hallucinatur H. GROTIUS, qui vocem *עֲשָׂרָה* de praeuaricationis *poena* exponit, et hanc vaticinationem in ultima, et decretoria gentis clade, ac funestissimo totius Reipublicae excidio, completam esse opinatur. Repugnat huic interpretamento sermonis angelici series, et scopus. Laeta quippe hic denunciantur, quemadmodum antea id inculcauimus, et insignia beneficia, populo, per Messiam obuentura, describuntur. Ante ultimam urbis, et ferale gentis Iudaicae cladem, per Messiam ait *cobibitum iri transgressio-nem*, mediante *כְּפָר* *עַנְיָן* plenaria *expiatione iniquitatum*, sive eiusmodi peccatorum obliteratione, vt nihil ex iis amplius usquam appariturum sit. Hoc verbum est sacrificiale, et de sacrificiis antiqua foederis expiatoriis, et piacularibus victimis, frequen-

VIII

frequenter usurpatur,^{*)} quando poenitentes Israelitae per fidem in Messiam, agnum illum ὄμωμον καὶ ἀσπιλον 1 Petr. I. 18. in ara crucis aliquando immolandum, et genuinum omnium victimarum immolatarum antitypum, cum supremo Numine in gratiam redibant. Talis conciliatio et gratia, Christi satisfactione fulta, Israelitis olim in solempni expiationis festo quotannis obtingebat, Leuit. XVI. 30. Vbi magna fiebat *expiatio* כְּפָר vel כְּפָרָה וְלִשְׁמַדֵּס et peccatorum quasi *obsignatio*, quale beneficium a Messia itidem expectandum dicitur, quo peccatorum reatus eo fine existimantur *obsignari*, et abscondi, ut ne ab ipso quidem diabolo, iurato piorum aduersario, feueram iudicis vindictam aduersus nos prouocaturo, allegari, et coram diuino tribunali produci possint. Cuncta haecce mala dicuntur auferenda per Messiam.

Inter

^{*)} Sacrificia piacularia, quae pro *peccato* et *reatu* offerebantur sub Moaffica Oeconomia, luculenter represebant Christi oblationem et mortem. Offerri quippe solebant de ἀδέρην ἀμαρτίαιν, Hebr. IX. 26. et ἡπερ ἀμαρτίαιν, Cap. X. 12. Idcirco Christus ipse nuncupatur ἀμαρτία, hoc est, ιησον et σων 2 Cor. V. vlt. et Esa. LIII. 10. Formulae sacrificiales Leuit. IV. 20. וְכָרְבָּהּ וְלִיְהֹת הַכְּרָבֶד et expiabit eos sacerdos, et condonabitur, Apostolus de Christo ita enunciavit, per se ipsum peccatorum nostrorum καθάρισμα, expiationem fecit, Ebr. I. 3. et Cap. II. 17. Christum semet ipsum immolasse docet εἰς τὸν ἱερόντος τὴν ἀμαρτίας τοῦ λαοῦ. Alibi ait, nos in Christo habere τὴν ἀπολύτωσιν διὰ τῶν αἵματος ἀντοῦ, τὴν ἀφεσιν τῶν περιπτωμάτων Eph. I. 7. Hebraeorum magistri praedicabant Dei benignitatem, quod נָסַח הַחֲנָתָה נְשָׁמָה animam victimae מְשַׁח pro anima illius, qui victimam offerebat piacularum, admittebat, et per illam expiebat. Sic Deus, Messias imposuit hominum peccata, eorumque poenas, Esa. LIII. 5. 6. Et Christus animam suam dedit γενέ λότρον, ἀντὶ πελλών, March. XX. 28. factus pro nobis execratio Gal. III. 13. Veteres Hebrei, victimam piacularum oblaturi, facta solemnni deprecatione, manu victimae capitii imposta, aiebant: וְכָרְבָּהּ, haec sit expiatio mea. Simili ratione Christus factus est וְכָרְבָּהּ expiatio nostra, siue ἱλασμὸς περὶ τῶν ἀμαρτίαιν ἡμῶν, 1 Joh. II. 2. Sic idem est כְּפָרָה ἀπολύτωσιν, et כְּפָר τῶν περιπτώσεων Hebr. IX. 13. Hoc ipsum indicauit h. l. Gabriel, coelestis legatus, quando praedixit, Messiam, victimae instar, peccata populi sui expiaturum esse. Conferantur 10. IAC. CRAMERI *Dissert. Philologicae de Ara Exteriore Cap. XII. §. III^o* p. 180.

בָּא Inter plurima bona per illum promerenda, et conferenda misericordia, peccatorum mole pressis, eminet צְדָקָה יְלִיטָה iustitia aeterna, et perfectissima, ut τὸ δικαιομα τοῦ νόμου πληγῶν ἐν ήμῖν, ut ius, quod Lex aduersus homines habet, dum postulat, aut obedientiam perfectam, accuratamque impletionem et satisfactionem; aut sempiternam poenam, a violatoribus ipsis, aut a sponfore, nostri vice, subeundam, impleretur, Rom. VIII. 4. et vt nos renunciaremur, ac declararemur, iusti, ob hanc ipsam Messiae iustitiam, fide nobis inputatam. Haec, cum delictorum expiatione, et obsignatione, arcte cohaeret, et in verbo euangeli, cunctis in Christum credituris, offertur εἰς δικαιοσύνης, ad salutis aeternae consecutionem, Rom. V. 18. Quotquot igitur in Christo inueniuntur, ii omnes habent τὴν δικαιοσύνην, τὴν ἐν Θεῷ ἐπὶ τῇ πίστει, Phil. III. 9. Sic Christus fit קַדְשָׁה כָּדוֹשָׁה leboua iustitia nostraler. XXIII. 5. 1 Cor. I. 30. Et hanc ipsam iustitiam, et λύτρωσιν, Messias debebat חֶבְיאָה εὐεργεσίᾳ Ebr. IX. 12. inuenire, mereri, adducere, et credentibus conferre, ad σωτηρίαν ψυχῶν, quae est τὸ τέλος τῆς πίστεως 1 Petr. I. 9.

כָּוּ Praefixa per Messiae mortem satisfactoriam consummatisima redēptione, angelus ait, obsignatum et impletum iri וְזַהֲרֵי visionem, et נְכוֹרָה et προφητείαν, sicut recte vertunt INTERPRETES ALEXANDRINI, et VULGATVS. Omnes visiones propheticas, typos, et vaticinationes de Christo venturo, et genus humanum cruenta morte redempturo, in codice sacro proditas, sic consecuturas esse perfectissimum implementum, infallibili quasi sigillo munitum, et ipso euentu confirmatum, ut nemo de veritate oraculorum, quae de Messia prostant, dubitare possit. Confirmandi significationem verbum מְתֻחָה habet, et talem notat obsignationem, qua edicta principum muniuntur. Nehem. X. 2. Ierem. XXXII. 10. Esa. VIII. 18. Nam σκοπὸς σκοπιμώτατος, ac finis totius Scripturae, et omnium figurarum ac oraculorum propheticorum, est Christus cum suis beneficiis. Hanc ob causam, prophetiae, et legis figurae Mosaicae, et δικαιώματα σαρπὸς, debuerunt tantum

X

tum durare μέχει πατέρων διορθώσεως, Ebr. IX. 10. et usque ad Ioannem Matth. XI. 13. Christi aduenturi praecursorem, qui eius praesentiam manifestare, ac digito in eum directo, monstrare debuit: ἵδε, ὁ ἄμωδος τοῦ Θεοῦ, ὁ δίκων τὴν αἰματιὰν τοῦ κόσμου Ioh. I. 29. Quibus verbis, baptista ad hocce angeliori oraculo haud obscure respexit, monuitque, illud eo tempore impletum, et Messiam τὸν ἀγίστατον nunc adesse, quem emphaseos causa קְרִישׁוֹת sanctum sanctorum, Gabriel, legatus Dei, appellavit, et in hoc nostro oraculo, et in allocutione ad Mariam, assuerans, τὸ γεννώμενον ἄγιον, filium sanctissimum, ex Maria natum, esse Filium Dei Luc. I. 35 in orbem terrarum missum, ut vngeneretur, secundum humanam videlicet naturam, personaliter ac περιχορεισκώς, intime, cum diuina vnitam, et communicatione ac inhabitatione τοῦ πληρώματος τῆς Θεότητος Col. II. 10. ad munus mediatorium, recte peragendum, exornandam, secundum vaticinia Prophetarum, Psalm XLV. 8. Esa. XI. 1. et Esa. LXI. 1. Lucae IV. 21. et Ioh. III. 34. vbi Messias ὁ Θεόνθεωπος et Immanuel, a Deo ad homines missus, ut facerdos et doctor, τὰ ἐνύπατα τοῦ Θεοῦ λαλῶν, Spiritus S. sapientiam et alia dona diuina, per vunctionem ἐν ἐν μέτρον, immensè ei communicata, dicitur accepisse. Quae vunctionio diuersos habuit gradus, nempe conceptionis et unionis utriusque naturae personalis, missionis ad praedicandum, et solemnioris inaugurationis, Matth. III. 16. tandemque exaltationis, Act. II. 33. et 36. vbi Deus Pater eum constituit Κύριον καὶ Χριστόν, dum nomen ei super omne nomen dedit Phil. II. 9.

Haec, et cum orationis angelicae serie, ac scopo, et cum ipso vaticinii implemento, atque euentu, multo rectius cohaerent, quam IO. MARSHAM, ac I. H. IVNGMANNI figura, quorum uterque per sanctum sanctorum, quod hic vngendum dicitur, intelligi voluerunt, posteriorem Zorobabelis aedem Templi, quod oleo consecrationis sacro fuerit inaugurandum et vngendum, cum tamen ipsimet Hebraeorum magistri mira confessione fateantur, in Templo posteriore sacrum et pre-

tio-

tiosum illud oleum vunctionis prorsus defuisse. In templi quippe prioris destructione, illud, cum aliis rebus, quas enumerant, periisse aiunt, nec post primam compositionem confici denuo fas fuisse, Eod. XXX. 33. Hoc igitur in loco nominatur typus, videlicet sanctissimum Templi adytum, sed *antitypus*, quae frequens est loquendi ratio in Scripturis, CHRISTVS ipse intelligitur.

In praenunciatione horum euentuum, designat angelus interuallum temporis CCCCXC. annorum, sive LXX. magnarum hebdomadum. Ne autem Daniel, et vaticinii lectores, incerti et dubii haesitarent, designat coelestis legatus temporis momentum, vnde istius interualli initium capiendum sit? Nempe *מִן מֵצָא רַבָּר* ab exitu editi Regii, vt in integrum restituatur status ecclesiasticus et ciuilis, atque reaedificetur Hierosolyma. Quatuor in historia sacra commemorantur eiusmodi Regum Persicorum *רַבָּרִים* edita, Iudaicae reipublicae ac vrbis instauracionem conceruentia, nempe Cyri, Esdr. I. 1. et Darii Hystraspidis, Esdr. IV. 24. ac duplex Artaxerxis, cognomento Longimani, sive *Artasjæ*, quorum posterius anno imperii eius XX. Nehem. II. 1-9; Et prius anno illius *septimo*, Esdrae VII. 11. promulgatum est. Hoc ipsum ab angelo hic indicatur, et cum temporum rationibus consentit, ac per commode dici potest verbum egrediens, vt restituatur in integrum, et reaedificetur, Ierusalem, hoc est, vt status Iudeorum liber, internus, et externus, cum *αὐτορουπίᾳ*, et propriis magistratis, in statum pristinum restitueretur. Ad hunc terminum a quo recte intelligendum, omnium circumstantiarum considerationem, et attentionem, requirebat legatus diuinus, qui Daniel perinde, ac oraculi huius lectores, ad diligentem meditationem excitat, et Christo Iesu interprete, Matth. XXIV. 15. iubet *νοεῖν*, ac omnia probe considerare. Verbum, sive editum, hic significatur non diuinæ reuelationis, vt nonnulli putarunt, quale nusquam exstat; sed verbum humanum, et regium, non de restaurandi Templi initio sub Cyro, Persarum monarca, iam facto; sed de continuatione, quam va-

XII

tes diuini, Haggaeus et Zacharias, praeceptis, et promissionibus diuinis vbi, maximopere vrgebant. Templo a Zorobabele et Iosua, summo sacrorum Antifite, vtcunque restituto, plurimae vrbis excisae partes adhuc in ruinis iacebant, qualis speciem vrbis ex parte postea adhuc inuenit Nehemias, Princeps pius, Arthasftae, Persarum Regis pincerna, in partiam redux, Neh. I. 3. II. 13. VII. 4. Scopus igitur edicti regii erat לְבָנָה יְרוּשָׁלַיִם להשיב ad reducendum et aedificandum, sive secundum VVLGATVM interpretem, ut iterum aedificetur Ierusalem, et respublica ac vrbs pristinum nitorem ac integritatem recipiat, per venustam scilicet plateau ac aedificiorum ordinationem, ac moeniorum exstructionem cum fossis ac ceteris munimentis. Quod omne, futurum angelus pollicetur, sed בֶּצֶק הַעֲמִידָה in angustia temporum, non sine ingentibus difficultatibus, et impedimentis, ab hostibus continuo obiiciendis. Euentum praedictionis, et implementum, annualium fides, et certa ac luculenta vetustatis, monumenta, in primis libri Maccabaici, et IOSEPHVS, scriptor domesticus, confirmant.

Terminum AD QVEM harum LXX. hebdomadum, extendit diuinus legatus נגיד עד משיר נגיד usque ad Messiae ducis aduentum, hoc est, usque ad Iesum Nazarenum, verum Messiam, Principem gloriae, et illustrem iustitiae doctorem, Ioh. I. 18. 50. verum vncutum, et Israelis Regem, σωτῆρα οὐδὲ Κύρον Luc. II. 11. Designatur suo nomine, vt persona prorsus singularis, nempe non cum ה demonstratio נגיד המשיח aliquis princeps vndus, vti כהן משיר sacerdos vndus, dicitur; sed ordine inuerso legitur בְּשֵׂרֶת נגיד ut Messias καὶ ἔξοχὸν ita nuncupatus, et a vtabus orbi promissus, indicaretur. Consentunt temporum rationes, quin et omnia praedicata, in hoc oraculo obvia, in eum solum conueniunt, nec sine insigni detorsione, ad alium, qualis ex historia illorum temporum ostendit, applicari possunt:

Valeant igitur, IO. MARSHAMVS, Anglus Vir illustris et eruditus, nec non IO. HARDVINVS, Ignatiani ordinis Sodalis
in

XIII

in Gallia, quorum neuter in hoc vaticinio aliquid de Christo Iesu vidit. **ILLE,** *) omnia, quae hic praedicuntur, laeta, ad reditum Iudeorum ex captiuitate; et *tristia*, ad diram illam vexationem, sub Antiocho Epiphane Iudeorum genti immis-
fam, magno, sed vano eruditio*nis* apparatu, retulit. **HIC,** **) quemadmodum portentosas semper amauit opinione*s*; sic omnia in hoc oraculo, pro lascivientis ingenii impetu, turbauit, et per *Christum ducem*, intellectus belli ducem, a Deo electum, Iudam videlicet Maccabaeum, militiae Iudaicae principem, qui pulso Antiochi Regis Syriae exercitu, Templum repurga-
rit. Vterque nouae opinionis auctor, Christiano nomine est in-
dignus. Nolite mirari, **PORPHYRIVM,** ***) philosophum Graecum, et a ciuitate Dei alienum, in vaticiniis Danielis cor-
rumpendis occupatum, nihil de Christo Iesu, orbis Saluatore inuenisse. Apostata erat, et acerrimus Christi hostis. Nec

B 3

magni-

*) Post **ESTIVM**, Doctorem Duacenum, et **SIXTVM SENENSEM**, ex Ordine Praedicatorum, fruolam hanc expositionem protulit **IO. MARSHAMVS**, in *Canone Chronico Seſt. XVIII.* p. 160. Certatim eam profigarunt **IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS** in *Mantissa de LXX. hebdomadibus Danielis*, ad *Tela Ignea Satanae* p. 6. et sequ. **CAMP. VITRINGA** *Obsernat. Sacr. L. VI. Cap. 3.* p. 258. **BERNARD. LAMY** *Presbyter Oratori*n* in Apparatu Chronol. ad Harmoniam Euangelior. P. II. Cap. 4. §. 6. B. BVDDEVS* in *Hiflor. Eccles. V. T. T. II. Periodo II. Seſt. V. §. 10.* p. 837. ei **IO. REINH. RVSIVS**, *Theologus et Philologus Iensis*, in *Dissert. de LXX. hebdomad. Danielis*. Omnia autem amplissime et solidissime id nuper praefiti-
tit *Vener. Dn. D. B. G. CLAVSWIZIVS*, *Theologus Halensis*, in *Additamentis ad Anglorum quorundam eruditorum Historiam Mundi Vniuersalem T. I. et II.*

) **IO. HARDVINI coniectatio temeraria, et omnem humanam fidem excedens, exstat in eius *Chronologia Vet. et N. T. ad vulgatam versio-
nem exacta*, et *nummis antiquis illustrata* p. 180. et sequ. et inter OPERA eius *SELECTA*, quae anno MDCCIX, Amstelodami prodierunt f. 592.
et sequ. nec non f. 880.

***) Vid. **S. HIERONYMI Praefatio in Danielē T. III. Op. edit. MAR-
TIANAEI** f. 1071.

XIV

magnopere mirandum est, idem fecisse BEN. de SPINOZA *) et ANTON COLLINVM **) Athei erant, et antiquitatem ac diuinitatem vaticiniorum Danielis, impugnabant. Verum, id horrendum et obstupescendum nobis videatur, quod viri erudit, nomen Christi, doctrinamque, professi, luxuriantis et nouaturientis ingenii impetu abrepti, et manifestas coelestis veritatis hostes sequuti, in acie argumenti, quo Iudei perfodi, et ad silentium redigi possunt, obtundenda, tam impiam industriam adhibere, et textui prophetico maximam vim inferre potuerint. ***)

Tria constituerat coelestis legatus interualla, LXX. septimanarum, ob euentuum diuersitatem, diuiseratque in VII. et in LXII. et in unam denique ac ultimam hebdomadem. In primo interuallo, praedixerat euentus populo Iudaico salutares. Illo enim VII. hebdomadum, sive XLIX. annorum interuallo, instauratum iri urbem cum sacrario et vniuerso cultu Religionis Mosaicae. Hic exulabant tristia, nempe Messiae mors violenta, cum secuturo, vrbis, templi, et gentis Iudaicae ultimo excidio, quae nunc singillatim commemorantur, et in altero illarum hebdomadum interuallo, ex parte praedicuntur secutura.

Nam post septimanas VII. et LXII. adeoque in hebdomade septuagesima, et ultima, יְהִי רָאשׁ מַשְׁיחָה exscindetur Messias, idem ille Messias, dux, et illustrissimus docto, quem antea descripsérat, et qui tandem, illo tempore, diuinitus constituto, ut Propheta aduentu-

*) SPINOZA in Tr. Theologico-Polit. Cap. X. p. 130.

**) ANT. COLLIN in Scheme of literal Prophecy Vol. I. Chapt. V. Num. 6. p. 140.

***) AVG. CALMETVS, edita de LXX. hebdomadibus Danielis, Dissertatione in plerisque suffragatur MARSHAMO et IO. HARDVINO, quorum systema minoribus incommodis obnoxium esse opinatur f. m. 609. edit. Latinæ.

uenturus erat ad Iudeos, in patriam reductos. Tantum temporis spatium dicitur elapsurum, usque ad Messiae παρεσταντος, et munera sacra ab eo obeundi initium. Haec ipsa residua hebdomas ultima, destinata erat γέννησις, *Messiae*, solenniter inaugurato et proclamato, duci et doctori, siue eius officio propheticō, ἀπέστως, et ἀποκαλυπτων, Euangelii praedicatione, ac editis portentis prodigijsque, vim eius diuinam, Numenque, declaraturis, inter Iudeos obeundo. Quibus peractis, sequi debebat munus sacerdotale, et mors Christi expiatoria. Quamobrem, *exscindendus*, siue, suppicio crucis, quod verbo כרת haud obscure subinnuitur, Esa. LIII. 4. e medio dicitur tollendus. Cui ignominiosissimae morti, Messias, uta vietima piacularis, pro salute generis humani erat subiiciendus, expiationis, quae laesae diuinae iustitiae debebatur, praestandae causa, ut antea dixerat. Huc verba referre oportet ינ נון סיבי, scilicet erit illa כרת exciso. Ne quis opinetur, Christum horribile istud supplicii genus promeruisse suis peccatis. Aut quasi praemia, et gloriam sibi esset adquisitus supplicii diritate, fortique tolerantia rerum aduersarum. Quare hic, idem, quod antea dixerat Esaias Cap. XLIII. 24. et LIII. 4. repetitur, et confirmatur, ac LXX. hebdomades in Christi morte finiuntur. *)

In

*) Anno Caefaris Tiberii XV. Iesus baptizabatur Luc. III. 23. annos XXX. natus, et eo ipso anno auspicabatur suum munus, in quo celebravit quatuor pafchata, quae conficiunt spatium trium annorum, et circiter sex mensium. Qui si addantur annis Tiberii XV. mors, siue excisio Christi incidi in annum Tiberii XIX. qui annus Seruatoris emortualis, responderet in Canone CLAVD. PTOLEMAEI anno 780. aerae Nabonassareae. Si retro eatur, detrahitis CCCCXC. annis LXX. hebdomadum, peruenitur ad annum Nabonassareum CCXC. qui responderet accurate anno Arraxerxis Longimani, siue Artasastae VII. quo, edictum de restaurando statu ecclesiastico, ac ciuili, adeoque ipsa aedificanda Hierosolyma, emanauit, Edrae VII. 11. Complementum igitur vaticinii ab angelo in Christi morte fixum, incidit in ultimae, siue septuagesimae hebdomadis finem. Q.E.D.

XVI

In Christi Iesu, suppicio crucis sublati, morte, finem perfectum, et compleatum, obtinuerunt LXX. hebdomas, sive CCCCXC. anni solares, ab angelo indicati.*). Appendix vice, alia, et noua, in oraculo angelico adiicitur hebdomas, cum priori LXX. hebdomadum numero, in Christi morte fixo, et finito, nequaquam permiscenda. Haec enim temporis periodus, continet euentus, Messiae crucifixionem, et resurrectionem, atque evectionem in gloriam, secuturos, ac dilucide testatos, Christum iam venisse. Angelus eos describit, cum, ut *prosperos* Iudaeis, ac salutares; tum, ut *infauustos* et exitiosos, qualis est sacrificiorum et totius cultus Leuitici cessatio plenaria, Ierem. III. 16. iam praedicta, et cum excidio sanctuarii atque urbis coniungenda. Ad *fauustos* euentus refertur pactum gratiae, et foederis Euangelici, Iudeis πεστον, *in primis* Act. XIII. 46. amplissime confirmandum. Hoc ipse Seruator sanctissimus, quoad facro doctoris munere, hisce in terris functus est, iam fecerat, Matth. XXIII. 37. Idem postea ex gratia superabundante, facturi erant discipuli, Christi iussum, de magistri ex morte resuscitati victoria, et triumpho ab hostibus acto, Iudeis dilucide testaturi cum plurimorum conuictione, Act. II. 41. IV. 4. V. 14. Et hoc ipsum est, quod angelus addit: וְהַגְּבֵר בָּרוּת לְרַבִּי et Messias, angelus foederis Malach. III. 2. et populis datus in foedus Et. XLII. 6. XLX. 8. qui ex morte in vitam rediisse praeponitur, *foedus* illud gratiae cum protoplastis, et genere humano, statim post lapsum initum, Gen. III. 15. et cruenta atque expiatoria sua morte sanctum, corroboratumque, atque cum a semetipso, tum deinde ab Apostolis, του Κυριου συνεγένετος, κατ την λόγον βεβαιωντες, Marc. XVI. 20. salutariter denunciatum, et cum amplissimis beneficiis, vero ιλασμῷ τῶν ἀμαρ-

*). Ergo Iesus Nazarenus circa exitum LXX. magnarum hebdomadum crucifixus, in quo solo omnes veri Messiae characteres, et circumstantiae temporum conueniunt, est verus Messias ὁ ἐπιχρόμενος, nec aliis citra insignem stoliditatem illo tempore, aut post destruendum Templum, et gentem, potuit expectari, Matth. XI. 3.

ἀμαρτιῶν, venia peccatorum, perfecta iustitia, Spiritus S.
donis, ac ipsa salute sempiterna oblatum, confirmabit mul-
tis, hoc est, omnibus, qui vellent ὑπακέειν τῷ εὐαγγελίῳ
qui audito Euangelio essent credituri, quae πίστις est ἐξ
αὐτῆς, Rom. X. 16. et 17.

Hoc autem deploratione dignum merito censetur,
quod non omnes Iudaei, praesertim οἱ Χριστοῦ οἱ
diuerunt. Notae sunt querulæ legatorum voces : οὐ
πάντες ὑπάκουσσιν τῷ εὐαγγελίῳ. Hoc praedixerat Esaias,
Cap. LIII. 1. exclamans : Κύριε τίς ἐπιτευχεῖ τῇ ἀκοῇ
ἡμῶν Rom. X. 16. 17. Haec Iudeorum carnalium ob-
stinatione et ἀνίστα, in oraculo nostro angelico subindi-
catur, vt a Deo praeuisa, et dirissimas clades prouoca-
tura. Cuius obstinacionis periuicaciae, nunc euentus
horribiles commemorantur, et poenae, Messiae reiectioni-
nem, suo tempore, nec multo post securitare, cum tem-
pli et vrbis, eleganter perpolitae, ac permunitae, tum
vniuersae gentis ac reipublicae ferali et decretorio excidio,
a Romanorum exercitu, duce Vespasiano ac Tito, ex
vindiicta diuina crudeliter inferenda. Hostilis ille exercitus,
quem angelus vocauerat נגיד ע populum principis, Cae-
esaris videlicet Romani, hic nuncupatur מושם desola-
tor, omnia deuastaturus, et solo aequaturus. Signa
copiarum hostilium militaria, aquila, quibus imagines
Caesarum, cultus causa, iungebantur, Iudacis erant
מִצְרָיִם βδελύματα, Matth. XXIV. 15. res maxime
detestabiles, cum τῇ ἐρημώσῃ, extrema vastitatis indu-
ctione, coniunctae, et permanusrae usque ad consum-
mationem praevisam, a vindicta diuina effundendam,
super vastatum, seu desolatum, populum videlicet, tem-
plum, vrbem et vniuersam gentis regionem, a Roma-
nis funditus delendam, vastandamque. Nec inducias,
nec pacem ea tempestate sperandam esse, angelus mo-
net. Quandoquidem, בַשְׂמָךְ finis eius, cum inundatione,
instar diluui illius magni, coniunctus, et ipsa de-
uastatio

XVIII

vaftatio, diuinitus decreta, מלחמת שָׁמֶן וְתִּלְעָסָר, vſque ad finem belli, inter Iudeos et Romanos continuandi, et vſque ad πανολεθέαν dicitur duratura. Nec antea ceſſaturam illam cladem, ait, quam extrema vaſtitas vbiique ſit inducta, et vniuersa gens cum republiça euersa. Quin imo, effundetur ira diuina עַל־הָעָם super vaſtum, vel *super populum deuafatum*, ab excidio adhuc residuum, et subinde nouis calamitatibus exagitantum, maxime ſub Imp. Hadriano, cladium funeſtissimarum imbribus obruemendum delendumque.

Eodem fere tempore בָּרוּץ id est circa dimidium alterum nouae hebdomadis *) idem Meſſias faciet, ut penitus ceſſet sacrificium, et munus farreum, quando vniuersus cultus Leuiticus omni vltiori vſi et fructu euacuatus erat. Etsi enim deinceps, post Chrifti euectionem in coelos, sacrificia adhuc vſque ad Templi excidium a Iudeis more antiquo offerebantur, omni tamen deſtituta erant valore, ac typica, qua superiori tempore gaudebant, repræſentatione. Postquam enim Chriftus ipſe ſe obculerat in cruce θυſταν καὶ προσφέραν τῷ Θεῷ εἰς ἐπιμήν ἐνωδίας Eph. V. 2. ſiue, vt Petrus ait, τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν ἀντὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι ἀντεῦ ἐπὶ τῷ ξύλῳ i Petr. II. 24. Hebr. X. 10. typicorum sacrificiorum nullus amplius erat vſus, nulla efficacia. Praefato erat ipſa ή ἐπὶ τῶν πραγμάτων, id est, τὸ σῶμα καὶ ή ἀλίθεια. Ergo de iure ceſſare debebat omnis vſus typicus, nec opus amplius erat figuris, σημῆ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν Ebr. X. 1. Summus et vnicus N. F. Pontifex, Chriftus Iefus, in adyutum cœleſte ſuo ſanguine intrauerat, ἀιωνίαν λύπεων ἐνεργέμενος, vel ἐνεισάμενος Hebr. IX. 12. Sub foliis ortum, umbrae et tenebrae diſſipantur. Exhibito Chrifto, Sole iuſtitiae Malach. IV. 4. et vbi praefens eſt ipsum τὸ σῶμα, h. e. res et

per-

*) vii Iof. X. 13. בְּחֵצֵי הַשְׁמִינִית circa medium coeli.

XIX

persona cum suis beneficiis praefigurata, et typis opposita, merito disparent umbrae, atque Leuiticae figurae, Coloss. II. 17. quae tandem excilo Templo re ipsa et actu disparuerunt.

Nos, CIVES, in primis festo hoc Paschali, merito laetamur et exultamus, solem hunc iustitiae ex inferis rediisse, et moeroris tenebras, atque lamentationum causas, dissipasse. Coite igitur nobiscum, et audite intelligenter atque attente, paschales praecones, veritatem et utilitatem mortis ac resurrectionis Christi nobis exposuituros. Resonabunt etiam Christi victoris laudes in Templo nostro Academico. Inter alia, crastino die, hora XII. quod felix faustumque sit, Vir Nobilissimus et Ornatus, Dn. IOANN. FRIDERICVS HVBSCHMANNVS, Raben. Misnicus, de Resurrectionis Christi veritate, ex propria conscientia Iudeos redarguente, luculentam recitatibit orationem. Ad quam benevolē audiendam, ILLVSTRISSIMOS COMITES, GRAVISSIMOS VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, Generosissimos item ac Nobilissimos Academiae Ciues, officiose et per amanter in uitamus. P. P. in Vigiliis F. Paschat. A. O. R. clo Iocc XLVIII.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X


3



PA 30C

VD 17

NC



43
60

Dan. 9, 24.
auct. Degling

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
S O L E M N E M
G L O R I O S I S S I M A E
C H R I S T I
R E S V R R E C T I O N I S
M E M O R I A M
P I E C E L E B R A N D A M
I N V I T A T . as.